UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ Theologiæ summa continetur

Petrus <Lombardus>

Mogvntiæ, 1632

Quod sancti iudicabunt & quomodo. B

urn:nbn:de:hbz:466:1-38829

Visual Library

Quod iudicabunt ſancti, & quomodo.

Aug. cap. 5. libr. 20. de Ciuit. Dei. *Sap. 3. b* *Matth 19. d* *1. Cor. 15. b*

Non a. ſolus Chriſtus iudicabit, ſed & ſancti cum eo iudicabunt nationes. Ipſe n. Apoſt. ait, Sedebitis & vos ſuper 12. ſedes, iudicãtes 12. tribus Iſrael. Nec eſt putandum, quod 12. Apoſtolis tantum hoc permiſerit Chriſtus. Vbi n. ſedebit Paulus, qui plus omnibus laborauit, ſi non ibi ſedebunt niſi 12? Per 12. ergo ſedes perfectio tribunalis, i. vniuerſitas iudicantium intelligitur, ſc. omnes perfecti, qui relictis omnib. ſecuti ſunt Chriſtum. Per 12. tribus, vniuerſitas iudicandorum. Iudicabunt vero cum Christo ſancti, nõ modo cooperatione, ſed etiã auctoritate & poteſtate. Vnde, Gladij ancipites in manibus eorũ, i. ſentẽtia de bonis & malis in poteſtate eorum. Si vero quęritur, quę erit eorum poteſtas vel auctoritas in iudicando: Puto nõ ante ſciri, quam videatur, niſi diuina reuelatione quis didicerit.

Matth. 19. d *Marc 10. d* *Pſal. 149.*

De ordinibus eorum, qui iudicandi erunt.

Ad cap. 36. Iob, Deus potentes non abijcit, libr. 26. cap. 24.

Erunt a. 4. ordines in iudicio. Duæ quippe ſunt partes electorum: ſcil. & reproborum, vt Greg. in moralib. ait. Sed bini ordines eiſdẽ ſingulis partibus continentur. Alij n. iudicantur, & pereunt: alij non iudicantur, & pereunt. Alij iudicantur, & regnant: alij non iudicantur & regnant. Iudicantur, & pereunt, quib⁹ dominica inclamatione dicetur, Eſuriui, & non dediſtis mihi mand. &c. Non iudicantur, & pereunt, quib. Dominus ait, Qui non credit, iam iudicatus eſt. Eorum n. damnatio tota Eccleſiæ nota eſt, &c. & ideo dicuntur tunc non iudicari, quia ad conſpectum diſtricti iudicis cum aperta damnatione ſuę infidelitatis accedent. Qui vero profeſsionẽ fidei ſine operibus habent, iudicabuntur, & peribunt, i. redarguentur vt pereant. Qui vero nec fidei ſacramenta tenuerunt, increpationem iudicis in ſe fieri non audient: quia infidelitatis ſuę tenebris præiudicati, eius quem deſpexerant inuectionẽ redargui non merentur. Illi

Matth. 25 c *Ioan. 3 c* *Iacob. 2 b*

autem